KEY
TO
LATIN
PROSE EXERCISES
BASED UPON
CAESAR'S GALLIC WAR

CLEMENT BRYANS

MACMILLAN & Co

KEY TO

EXERCISES IN LATIN PROSE

KEY

TO

EXERCISES IN LATIN PROSE

BY

CLEMENT BRYANS

ASSISTANT MASTER IN DULWICH COLLEGE;
LATE SCHOLAR OF KING'S COLLEGE, CAMBRIDGE; AND
BELL UNIVERSITY SCHOLAR

SECOND EDITION REVISED AND ENLARGED

London
MACMILLAN AND CO.
AND NEW YORK
1888

PREFACE TO SECOND EDITION.

THIS Edition gives versions of all the Exercises contained in the second edition of the *Exercises in Latin Prose*. In some cases, towards the end of the book, I have made use of turns of expression not purely Cæsarean, but as a rule this has not been done. The exigencies of printing have made it impossible to write open diphthongs throughout. It is a pleasant duty to acknowledge the kindness of my colleague, Mr. Lendrum, in revising the proof-sheets.

PREFACE TO FIRST EDITION.

THIS Key is due to a demand from more than one quarter. Experience has shown me that in too many cases the saving of time is necessarily a great object with schoolmasters: hence arises a reluctance on their part to adopt new books even if the principle of the book seem a good one. This reluctance is the more felt if the principle of the book render necessary a considerable amount of work on the part of the teacher.

In preparing this Key I have re-read most of the Gallic war, and have avoided, where possible, any phrase or even word which has not Cæsar's sanction. At the same time I have often introduced turns of expression which are not given in the notes to the exercises. As to orthography, I have followed Holder's edition except with regard to the letter *v*; the confusion caused by writing *u* for *v* has caused me to adhere to the old method. Although I am solely responsible for the blemishes of the Key, I have to acknowledge with many thanks the kindness of my former colleague, the Rev. W. A. Heard of Westminster, in reading the proof-sheets. With his permission I quote what

he says as to my scheme: 'I have learnt how much can be gained by your method. There is a certitude about it both for master and boy, such as there cannot be in having no one model; and the Cicero stage is a later one.' These words, coming from one whose practical experience and interest in education are so great, give me much encouragement. Most schoolmasters will, I think, admit that Latin Prose in schools is, as a rule, bad. Sentences framed to suit Latin idiom give little or no help when a boy comes to do continuous pieces of real, not Latin, English. The sooner a boy learns to walk without sentence stilts, and realise what Latin Prose really means, the better. With a trustworthy vocabulary and a style as a pattern, which is not beyond his reach, a boy can face the difficulty with some hope of success. My own experience is that the results of my method are satisfactory. The plan I pursue is to make every one do each exercise twice. After merely underlining the first attempt, I return all the copies without giving any help, and make the boys do them again. As a rule, on the second attempt all gross faults disappear, and often really good exercises are shown up. Any help or hint to solve this most difficult question will be very thankfully received by me, as I cannot but feel that we are only on the threshold of the right method to teach Latin Prose.

KEY TO EXERCISES IN LATIN PROSE.

Exercise I.

1. Cæsar autem bello præfectus summæ imperii severitati ratione atque usu belli additis ad Galliam bellum transtulit. Castris idoneo loco positis, ubi uterque utrique erat exercitus in conspectu, suos castris a prœlio continebat. Levibus tamen prœliis sæpe pugnatum est ut et modo conscripti et voluntarii in re militari usum haberent.

2. Galli vero itinere intercluso ac clamore ad arma sublato armata milia ducenta confecerunt. Itaque Cæsar postquam centum equites cuique civitati imperavit suos tripartito diduxit. Neque longius progressus quam quo telum adici posset universos signa inferre iussit. Cum diu ancipiti prœlio esset pugnatum tandem hostes a signis discesserunt, itaque Cæsar victoriam, quæ multorum fortium morte constitit, adeptus est.

Exercise II.

1. Spe victoriæ sublati impetum conferti fecerunt. Cum ancipiti prœlio ab equitibus pugnatum esset, alii

re incepta discedere alii victoriam iam exploratam dimittere se non oportere censebant.

2. Ut phalangem facerent pronuntiatum est; tum milites ad iniquam pugnandi condicionem deducti eruptione facta in fugam hostes coniecerunt. Hi anni tempore sublevati paucis modo vulneribus acceptis in silvas confugerunt.

3. Alii ut muros cingerent collocati sunt. Alii aggerem cuniculis subtrahere, alii aquari ac lignari, alii ab exercitu Cæsarem, dum urbis situm perspicit, intercludere conari.

4. Ii qui in statione erant præsidia indiligentius servabant. Quo cognito Cæsar receptui cani consulto iussit, deinde impetu subito facto telisque haud frustra missis pæne sine ullo vulnere victoria est potitus.

Exercise III.

1. Fide læsa atque ita profectus ut fugæ similis profectio videretur hostibus timoris suspicionem dedit. Deinde signis conversis hostes de improviso adortus, qui ad iniquam pugnandi condicionem ita deducti in fugam conversi atque in fuga deprehensi sunt.

2. Ii qui in insula nati sunt professi ex inferioribus ordinibus virtutis causa in bello in superiores traducti sunt. Nam anni tempore sublevati urbe circumvallata sine contentione potiti sunt. Haud magna suorum iactura hostes prope ad internecionem redegerunt.

3. Ante omnes princeps servilis tumultus Spartacus fuit. Primum quidem nihil nisi incursiones eruptionesque fecit. Deinde, cum modo conscripti ad copias diminutas explendas undique convenirent, prœlio cum Romanis legionibus confligere ausus est, ubi nulla ratione neque diligentia res a ducibus administrabatur. Idem, etsi rei frumentariæ inopia atque anni tempore ab oppidorum obsidione excludebatur, per proditionem aut indiligentiam præsidiorum plures urbes oppugnatas cepit.

Exercise IV.

1. Incerto victoriæ exitu aliquot equites qui legioni quæ urgebatur subvenirent et defatigatis succederent dux misit. In tanto periculo calones una cum plurimis funditoribus sagittariisque, quibus ad speciem atque ad opinionem pugnantium præbendam utebatur, se fugæ præcipites mandaverunt.

2. Romani itineribus hostium servatis copias distinebant. Phalange facta nunquam ab agmine legionum discedi passi armisque expeditis infestis contra hostes signis constiterunt.

3. Britanni autem castris motis per hostes iter per vim tentare statuerunt. Utrinque creberrima tela gravius accidebant. Postquam tamen tela defecerunt Britanni hostium tela modo vitare ac supplementum expectare poterant.

4. Vexillo proposito clientes stipendiariosque hortabantur ut fugæ turpitudinem delerent hostibusque terrore iniecto patriam in libertatem vindicarent.

Exercise V.

1. Civitates peditatus equitatusque auxiliis missis omnibusque perfugis in fidem receptis servilis tumultus initium fecerunt. Itaque magnam multitudinem mercede conductorum et sagittariorum et funditorum et militum legionariorum confecerunt. Oppidis quæ obsidionem sustinere non possent receptis dieque pugnæ constituto victoriæ fructum percipere aut in acie interfici statuerunt.

2. Galli ita ad pugnam evocati castris nudatis magnum iter noctu fecerunt. Prœlio commisso atque hostibus profligatis ducis sui mortem persecuti sunt.

3. Cæsar legatis ad concilium adhibitis suos ita allocutus: se iniquo Marte contendere at rei militaris scientiam disciplinamque quam numerum plus posse. Superioris diei incommodum virtute eo die expiarent, atque ingenti multitudine hostium fugata prioris deditionis turpitudinem delerent. Quis enim præstare non putaret in acie interfici quam fide læsa fugaque turpiter capta civibus servitutem iniungere potius quam in libertatem vindicare?

Exercise VI.

1. Ille equitatu navibus imposito ex Gessoriaci portu, quo ex portu commodissimus transmissus est circiter milium passuum quinque et viginti, solvit, duoque in Britanniam commeatus fecit. Annotinis enim infirmisque navibus refectis omnique armorum genere instructis

æstus commutationem secutus tempestatemque ad navigandum idoneam nactus postquam decem horas navigavit ad terram pervenit. Cum autem onerariæ naves, quas inanes remiserat, in aperto mari essent tanta coorta est tempestas ut naves planis carinis, quarum motus ad usum maxime expeditus est, relatæ ad insulam paulo infra deicerentur. Aliæ quoque longæ naves, quæ milites ferebant, ad ancoras deligatæ ex concursu maximum incommodum acceperunt. Aliæ ancoris amissis vento choro sæviente in altum revectæ atque, etsi gubernatores nautæque scientia atque usu nauticarum rerum reliquos antecedebant, adversa nocte in rupes eiectæ atque e castris in litore positis visæ deperierunt.

Exercise VII.

1. Britanni olim navibus plurimum poterant naviumque omni armorum genere ornatissimarum magnam facultatem habebant. Alias refectas alias novis oneribus oneratas habebant, aliis ea quæ ad usum navium pertinent providerant.

2. Cæsar cum longis navibus ut navigari commode posset effecisset cum veteranis quos sustulerat prima luce solvit. In medio cursu ventus continuos complures dies navigationem impediebat ita ut multa navigia speculatoria atque annotinæ naves deperirent. Vento tamen se dedit, quo intermisso Itium portum ipse incolumis cepit.

3. Latis navibus deductis remiges quos comparassent tollerent. Num Britannos solos in aperto mari ancoras

iacere posse? Inde commodissimum in Britanniam transmissum esse. Suos enim et in arido et in alto periculum non detrectare.

Exercise VIII.

1. Æstu incitato ancoris iactis remigandi laborem intermiserunt. Nam etsi sub sinistra terram conspexerunt, Africo vento sæviente dieque æquinoctii propinqua navigationem hiemi subicere non audebant.

2. Postquam diem ex die in ancoris expectavit, ventum et æstum secundum nactus est ut in Hiberniam navigaret, qui transmissus est circiter milium passuum sexaginta a Britannia. Itaque cum decem longis multisque privatis navibus solvit. Tamen in magno impetu maris atque aperto, cum iam amplius triginta passuum milia cursum tenuisset, tanta malacia ac tranquillitas exstitit ut provehi non posset.

3. Exercitu suo duobus commeatibus e continenti reportato militibusque e navibus expositis navalibus castris idoneum locum elegit. Post diem quartum quam ventum est opere perfecto castra omni ex parte munita erant. Dies ex eo die continuos quinque naves ex Gallia reiectæ ad terram pervenerunt; militibus, quos ferebant, fame ac labore confectis cum diem iam tertium cibo carerent.

Exercise IX.

1. Lacus Lemannus qui inter occasum solis et septentriones spectat longe introrsus pertinet. Cum Helvetii

agri solum optimum sit totius Germaniæ, interiores prope ex omnibus partibus altissimis montibus circumdati agriculturæ plurimum student.

2. Lutetiam in planicie positam Sequana flumen ut circino circumductum pæne totam cingit. Locis demissis frumentariisque cœlum temperatius est frigoribus remissioribus.

3. Ad Oceanum versus per saltus atque impedita loca perpetuis paludibus ac silvis munitus profectus est. Sub monte milia passuum ab hostium castris octo loco egregie et natura et arte munito consedit.

Exercise X.

1. Australiæ saltus introrsus pertinent ita ut inter occasum solis et septentriones spectent. Vicinitatibus tamen loca minime nota sunt, quæ impeditis paludibus aut silvis infinita magnitudine obiectis aut fluminibus ripis tam præruptis ac tanta rapiditate ut vix unquam vado transiri possint omnes aditus difficiles habent. Magna tamen pars ad agriculturam atque ad pecora alenda maxime est oportuna; multæ valles et porrecta ac aperta loca vacant, et novi coloni locorum inscientia sæpe in solitudinibus quas saltus silvæque continent perditi frigore inopiaque pereunt.

2. A milibus passuum circiter quadraginta mora flumen e silva infinita magnitudine oritur, et cum e nivibus crevit difficili est transitu. Longo spatio citatum latum multis capitibus in Oceanum influit.

Excercise XI.

Edinæ arx in prærupta rupe posita loci præsidio natura munito atque ex omni parte circumciso totum in oppidum atque in mare, quod longius abest, despectum habet. Quo ex portu in adversam oram brevissimus est transmissus: ii qui in ea civitate sunt nati quotannis natales dies et annorum initia observant ad Caledoniorum urbem itinere faciendo. Multos quidem dies ad deliberandum more suo sumunt, dieque constituto sæpe in longiorem diem iter differunt, si venti impetu mare sævierit. Ante id tempus pavore trepidi paucos dies nonnunquam cibo carent, solis tamen ortu occasuque spe secundi itineris commoti multum vini bibunt quasi vero summi periculi res sit navigare.

Exercise XII.

1. Colli, unde erat despectus in oppidum quod in apertis locis positum fluminis e regione erat, in circuitu erat ascensus. Ex utraque oppidi parte silva quæ sinistrorsus se flexit recta regione fluminis pertinebat.

2. Ad ripas Tamesis fluminis oppidum est positum, cuius omnia ædificia ad altitudinem fluminis dimensa ad occidentem solem spectant.

3. In orientem, in occidentem solem, in septentriones, in meridiem spectarent. Omnes in partes expedita esse itinera ac loca temperata. Num flumen Sequanam uno omnino loco pedibus transiri posse, num silvas infinita magnitudine esse atque inpeditis paludibus contineri? Sibi esse duces solitudinum mediterranearumque regionum peritos qui ad feraces valles et loca maxime frumentaria ducere possent. Ubi terrarum feraciores agros invenire possent?

Exercise XIII.

1. Circiter meridiem ante exactam hiemem post diem quartum quam ventum est profectionem in tertium annum confirmavit cum tertium iam annum regnaret. Quod legati quos præmiserat ad diem non reversi tridui moram ita interposuerunt dum omnia necessaria essent parata expectare coactus est. Quinto die prima luce illo pervenit unde in Britanniam transmissus pari spatio atque ex insula Mona est in Hiberniam.

2. Hoc reservato ad ultimum consilio quattuordecim annos apud suos magnam auctoritatem habebat. Legati eius inter se collocuti iureiurando inter se sanxerunt ne eum relinquerent.

Exercise XIV.

1. Ex eventu navium suarum fide omnium rerum amissa summæ dementiæ esse iudicabat dum bellum Helvetiorum confecisset, quæ civitas maximæ erat auctoritatis totius Galliæ, expectare.

2. Omnes cum Cæsari sese ad pedes proiecissent, sibi consuleret orabant. Itaque die concilio constituto huic rei quod satis esse visum est militum reliquit. Deinde Labieno scripsit ut custodes Dumnorigi poneret, quod documento esset reliquis Gallis qui Romanis in amicitiam venire noluerant.

3. Maximam partem Germani lacte vivunt neque un-

quam summis copiis prœlio contendunt. Equestribus enim copiis maxime valent, tabulasque militum literis Germanis confectas habent. Communi consilio Romanos hostium numero habere statuerunt atque adverso flumine profecti nostris imprudentibus castra oppugnaverunt.

Exercise XV.

1. Cæsar ab militum cohortatione ab hora septima usque ad tertiam decimam profectus est. Ii qui a novissimo agmine erant ut ab eo gratiam inirent oppidum a defensoribus vacuum esse relictum et ex ea parte quæ a paludibus intermissa esset aditum habere dixerunt.

2. Cum Romanis de iniuriis satisfecissent obsidibusque de pecunia cavissent Ædui de Cæsaris consilio de deditione legatos mittunt.

3. Alii ex equis alii ex essedis tergis versis ex prœlio superfuerunt. Qui cum ex timore se recepissent ex usu Galliæ fore pro tempore consilium capere et ad vim atque arma descendere putabant.

4. Ægyptiis copiis ad speciem atque ad opinionem Arabum utimur: qui nunquam ad nutum et ad tempus res administrare possunt itaque minus apti sunt ad hostem cum ad arma conclamatum est.

Exercise XVI.

Ex eventu navium quas sui quisque commodi fecerat omnium rerum fides atque omnis spes reliqui temporis

huius generis hostibus maximam partem navigandi insuetis discessit. Superioris temporis consilium atque eorum dierum consuetudo itineris res multæ operæ ac laboris neque tanti populi dignitatis fuerunt. Itaque communi consilio receptui cani iusserunt, et duobus magni animi ducibus, quibus magnam fidem habebant, navibus præsidio relictis, summis copiis adverso flumine loco quo convenirent delecto iter fecerunt.

Exercise XVII.

Vitro enim horridiores sunt aspectu, eo magis quod capillo sunt promisso atque omni parte corporis rasa. Nullis copiis et virtute et numero non pares se imperio esse natos censent neque cuiquam populo in amicitiam veniunt. Maximam vero partem lacte et carne vivunt. Princeps quisque magnum equitatus numerum suo sumptu alit, quorum militum tabulæ literis Græcis confectæ sunt. Omnes qui bono animo sunt in populum Romanum hostium numero habent, atque eos qui suorum capitum periculo discrimini occurrant cordi esse mortuis, documento vivis, reliquis virtutis testimonio esse arbitrantur.

Exercise XVIII.

Quibus de causis de consilio legatorum, milites ne ab re frumentaria duris subvectionibus laborarent cohortatus, id quod ex armis Romanorum qui a novissimo agmine erant cognoverat pro certo ponit. Ex magna copia locum castris delegit quo equites pulsi ex fuga aut timore se

reciperent. Carris pro vallo obiectis pro suggestu milites allocutus ad extremam orationem ita confirmavit. In summo periculo in virtute salutem esse positam: eo die sui in perpetuum liberandi ab iis qui eadem iura in ipsos quæ domini in servos usurparent facultatem dari. Omnes aditus locum ipsum per se defendere. Omnia ipsum per se obiisse neque quicquam ad spem victoriæ reliqui fecisse. Ad nutum et ad tempus omnes res administrarent ut pro tantis laboribus fructum victoriæ perciperent. Sibi vero a pueris laboris ac duritiæ insuetis cum Romanis continentia bella intercessisse. Ad dolum cruciatusque illos semper descendisse. Nonne illum casum ad ipsos hostes tum recidere posse? se ipsum suos in dubium devocare nolle sed cives in libertatem vindicare de quibus captis servilem in modum illi quæstionem haberent. Se equites iussisse hostes citra flumen elicere, sed omnes intra munitiones ingredi prohiberent.

Exercise XIX.

Ille, quoniam Romam obsidione liberatam esse sciebat, quod legatus Tiberim traiecisset atque hostes obsides dedissent satis esse ad bellum conficiendum existimabat. Itaque postquam si flumen hostes transirent expectavit id quod nunquam antea erat expertus facere statuit, ut priusquam subsidia pervenissent et dum hostes pabulantur castra relinqueret. Cum expectare nollet dum omnes copiæ convenirent omnibus nondum paratis profectus est neque iter intermisit quoad Capuam pervenit; nunquam enim dubitabat utrum in itinere consistere an celeritate salutem petere præstaret. Ut nonnulli e legatis

in castris maneret suadebant ita alii cum eo idem sentiebant; concilio convocato ita allocutus. Alios cum ipso sentire alios dissuadere. Quid se esse facturum? Cur de salute atque ipsius prudentia si castra reliquissent desperarent? Cur quisquam putaret usum quem in servili tumultu ipse esset adeptus tum nihil proficere? Quid esse stultius aut turpius quam auctore hoste de summis rebus consilium capere? Eum locum, ubi Poeni profligati erant, e Romana virtute nomen cepisse. Ostenderent se posse quod maiores olim fecissent.

Exercise XX.

Ea quæ proxime ex Africa nuntiata sunt etiam tristiora nuntio paucis ante diebus allato. Nam Labienus auxiliis supplementi causa ad Crassum missis cum nonnullis equitibus ad loca exploranda expeditionem fecit. Crassus cum cognovisset collem, unde in hostium castra despectus esset, Batavos non occupasse hoc consilium iniit. Circiter septingentis militibus[1] noctu profectus postquam longum iter fecit ad summum montem primam ante vigiliam pervenit. Prima luce nebula summota nostri summo de monte carros munitionesque conspexerunt hostium, qui nondum nostros adesse cognoverant. Qua re animadversa hostes primo quidem maxime perturbati sunt, ac, si Crassus statim esset adortus, res longe alium eventum habere potuit. Loci autem præsidio fretus impetum hostium expectare statuit, qui eius cunctatione cognita statim tela a tertia hora usque ad meridiem continenter coniecerunt.

[1] Cf. abl. case, *L. P.* (4).

Exercise XXI.

Marcellus, ubi quærendo comperit duo esse omnino itinera quibus ad urbem Ortospana pervenire posset, reliquæ dum copiæ quas cuique civitati imperaverat convenire atque una proficisci possent expectare statuit. Tum vero omnibus primas ad angustias coactis tempus venisse quo seditiosis hostibus metum iniceret intellexit: itaque legatis suis sociorumque principibus convocatis de vetere incommodo apud Ortospana accepto commonefecit. Eam ignominiam delerent illiusque fortissimi viri mortem persequerentur qui interiisset quod iis quæ hostes profiterentur nimis esset confisus. Britannorum enim laudem Indiæque imperium summo esse in discrimine, qua de causa omnes coniuncti hostes quos tam diu odissent in perpetuum bello premerent.

Exercise XXII.

Multi autem ex Celtiberorum ducibus Romanam rei militaris rationem a Sertorio acceperant qui maximam gratiam atque auctoritatem apud Hispanos habebat. Quam scientiam contra Crassum Cæsaris legatum adhibuerunt cum socios ipsorum Aquitanos sub imperium redigere conatus est. Haud tuto se prælium commissuros esse arbitrati superiora loca occupare, castra munire atque Romanos a re frumentaria excludere cæperunt; quæ omnia facere poterant quod Crassus milites propter paucitatem diducere non audebat, et sua multitudo tanta erat ut quoquoversus vagari itineraque intercludere at satis præsidii castris relinquere possent. Itaque Crassus unam esse spem salutis si eruptione facta hostes

aggrederetur existimabat: re autem ad concilium delata cum omnes idem sentire intellexisset posterum diem pugnæ constituit.

Exercise XXIII.

Tum vero ad Caledoniorum regem cui sororem suam in matrimonium collocaverat legatos iterum misit, quibus si ad imperatum venire nollet mandavit ut bellum indicerent. Itaque ad diem qua omnes convenirent dictam Britannorum rex suo cum exercitu ad novum castellum pervenit, ubi triduum morabatur dum ceteri eodem sequerentur. Quorum adventu omnibus cum copiis ad Caledoniam profectus haud procul a maritima urbe constitit; rex enim Caledoniorum eadem quæ prioribus legatis responderat. Ita in Caledoniam, eo consilio ut ad urbem obsidendam nihil moratus sed continenter progressus agros incenderet, iter fecit; in quo omnia campestria loca depopulatus multas urbes fossis vallisque munitas expugnavit atque arce Edinæ capta ibi præsidium collocavit.

Exercise XXIV.

Deinde ad imperatorem miserunt qui quid fieri vellet cognoscerent. Ille autem mille cum legionariis tribusque sagittariorum milibus urbe circumvallata omnem illam regionem ita vastabat ut nemo in apertis locis manere auderet; multisque oppugnationibus levibusque præliis ante oppidi munitiones pugnabatur. Cui nonnulli principes centum cum legioniariis ducentisque sagittariis subvenerunt. Deinde statim uno tempore tribus e partibus magno impetu facto adeo graviter sagittariorum tela

accidebant ut oppidani in stationibus se ostendere vix auderent. Eo toto die oppugnabatur multis utrinque vulneratis: prima autem nocte Britanni in castra se receperunt; itemque oppidani summo labore confecti arma posuerunt; sed hostes nullis armis nisi galeis positis e labore se reficiebant.

Exercise XXV.

Rex Britannorum cum ad oppidum suis navibus accessisset tantam navium multitudinem in portu conspexit ut mali densissimæ silvæ esse similes viderentur; quo viso ex suo gubernatore quæsiit cuius populi esse naves arbitraretur. Is ad hoc respondit se putare Gallorum socios ibi a Galliæ rege collocatos fuisse, plurimasque Britanniæ iniurias intulisse maritima urbe incensa maximaque e longis navibus capta. Cui rex se cum Gallis contendere iamdudum velle atque ita cum nonnullis tum esse dimicaturum ut pro multis incommodis pænas, si posset, repeteret. Deinde acie instructa maximas naves quæ multos sagittarios portabant primas constituit—itaque omnibus rebus a rege legatisque commode administratis, item hostes, qui magnam scientiam atque usum navalium pugnarum haberent, suam classem instruxerunt. Pugnatum est ab utrisque acerrime—sagittarii tela conicere, legionarii comminus rem gerere—ac quo facilius congrederentur ferreas manus arpagonesque habebant quibus iniectis naves inter se artius inligatas continerent.

Exercise XXVI.

Pugnatum est acerrime, atque eo magis quod mari non terra res gerebatur.[1] Nam in navali pugna nemo se recipere nec fugere potest, sed omnes decertare et quæcunque accidat fortuna experiri et virtutem præstare necesse est. Tum demum cum nostri maximam e longis navibus cepissent omnes quos portabat aut capti aut interfecti. A prima luce usque ad meridiem pugnabatur, et a nostris contra hostes navigandi peritos ad iniquissimam pugnandi conditionem deductis maxime laborabatur. Britannorum rex prælio ipse intererat, quocum multi fortesque nobiles una cum auxiliis suis tantam virtutem præstiterunt ut victoria potirentur. Itaque Galli sociique in fugam coniecti aut ad unum interfecti aut summersi sunt.[2] Quam victoriam adeptus tota ea nocte maximo cum strepitu tubarum ad oppidum in navi sua rex manebat.

Exercise XXVII.

Optimis autem equis equites nobilesque caballis tamen cæteri utuntur; neque carros neque essedas secum habent quibus montes locaque impedita transeant. Nihil panis neque vini secum ferunt cum in eam consuetudinem se adduxerint ut longissima itinera sine frumento faciant fluminisque aquam sine vino bibant. Maximam partem pecore vivunt cuius satis magna copia in itinere semper suppetit. Qua de causa minime id mirandum est quod

[1] Or 'id quod magis futurum in navalibus quam pedestribus præliis constat.'

[2] Cæsar does not use this word; perhaps he would say, mari oppressi sunt. Cf. iv. 15, 6.

maiora itinera quam cæteri faciunt. Caledonii huiusmodi itinere in Angliam facto omnia depopulati magno pecorum numero potiuntur.

Exercise XXVIII.

Cuius ad fluminis ripas oppidum Luguvallium est positum cui duo duces præerant ad Caledonios itinere prohibendos; Caledonii enim Britanniam nisi qua ex parte eo flumine traiecto inire non poterant—neque de hostibus priusquam ad initium Britannorum pervenissent nuntius afferri poterat. Quare huius vicinique oppidi præsidiis inscientibus Caledonii id flumen traiecerant spatio inter duo oppida interiecto passuum circiter milium sexaginta. Hi adeo student labori ac duritiæ ut maxima itinera armati bello faciant; si enim in Britanniam incursionem facere statuerint uno die totum exercitum milia passuum quadraginta ducunt; neque quisquam præter calones atque eiusmodi homines, qui exercitum pedibus sequuntur, equis non utitur.

Exercise XXIX.

Britannorum rex Caledoniæ aperta ac plana loca ita quam latissime pervagatus ibique sex menses moratus cum intellexisset sibi nullo modo resisti ad maritimam urbem satis commode pedem retulit. Quo cum ventum esset urbe circumvallata se prius discessurum negabat quam aut expugnasset aut hostium rex vi atque armis obsidione oppidum liberasset. Quo in oppido ille fortissimum præsidium collocaverat. Ante id oppidum plurimis oppugnationibus præliisque fere cotidie pugnabatur, cum oppidani semper sibi auxilio ventum iri

arbitrati se in deditionem dare sine contentione nollent —quod tamen auxilium frustra expectabant. Itaque ii qui oppido præerant cum vidissent nulla ex parte quicquam solacii neque opis adesse remque frumentariam deficere atque se terra marique obsideri hanc pacis condicionem orabant ut unius mensis indutias impetrarent.

Exercise XXX.

Ille autem nova victoria lætus, qua Angli a veteribus hostibus liberati erant, cum primum esset nuntiatum Gulielmum Gallorum regem una cum exercitu in Saxonum litus e navibus egressum esse, Eboraco, ubi erat, statim in inferiorem Britanniam hostibus iamdiu expectatis obviam contendit. Magnis tamen in superiore prælio detrimentis acceptis non multos secum habere veteranos poterat. Magnis cum itineribus in urbem Londinium pervenisset, ibi sex modo dies moratus pronuntiavit ut proximis civitatibus copias imperarent et naves ad Portum Novum rursus convenirent. Multo plus armorum quam Gulielmus conficere potuit nisi nova victoria nimis elatus graviter tulisset quod hostes agros depopulari nuntiaretur. Itaque ubi primum in urbem parvum exercitum coegit quam celerrime ad oram maritimam contendit, si Gallos de improviso adoriri posset eadem itineris ratione usus qua nuper barbaros inopinantes oppresserat.

Exercise XXXI.

At ille ubi intellexit spem de hostibus subito opprimendis se fefellisse consilio mutato circiter milia passuum ab hostium castris septem consedit. Speculatores quidam Gallicæ linguæ periti, qui quot essent quæque pararent

hostes investigarent missi erant, mirati detulerunt plures esse in Gulielmi castris sacerdotes quam in suo exercitu milites—quod Gallorum consuetudinis inscientia omnes qui tonsis capillis rasoque ore erant pro sacerdotibus habuerant. Cum nostri milites minime Gallis pares numero essent legati quidam ducem hortantur ut agris vastatis eoque hostibus fame oppressis Londinium regrediatur.

Exercise XXXII.

Quod tamen consilium nullo modo regi placuit qui agris vastatis brevissimi vel temporis iniuriam suis inferre nollet. Eius cum fratres qui in castris aderant prælio ne ipse interesset suaderent, rex sibi prælio non supersedendum esse respondit ubi alii pro se ipso in discrimine versarentur. Quis enim pro turpissimo non habiturus neque reprehensurus esset quod carissimum quemque misisset quo ipse ire non auderet? Ipse igitur per se pugnare statuit: haud tamen rei militaris tam imperitus erat ut prælii initium faceret. Colle ubi constiterat vallis munito viminibus ac cratibus contextis se vi pulsurum esse dixit quicunque impetum faceret.[1]

Exercise XXXIII.

Incitati his pollicitationibus Cantii ac vicinitatum incolæ coniuratione facta ad hominum milia sexaginta Londinium versus profecti sunt; quibus Spartacus una cum Fufio et liberto Statio præerat, sed ad Spartacum summa imperii delata est. Qui cum infelices tumultus esse auctores cæpissent, Londinii cives præter eos qui novis rebus studebant maxime perturbabantur. Tum vero urbi præfectus ditissimis civibus ad consilium

[1] Or 'faciat.' Cf. *L. P.* p. 77.

adhibitis, cum hominum concursum omnibus ex partibus vidisset, portas nequis in urbem intraret claudendas curavit. Re tamen deliberata id non esse faciendum censebant ne ædificia vicique extra urbem incenderentur. Itaque urbis portis iterum reclusis alia ex parte centum alia ducenti nunc viceni nunc triceni ingressi sunt.

Exercise XXXIV.

Omni fere Gallia pacata Cæsar cupiditate inductus laudis suæ augendæ atque summæ Romani imperii obtinendæ neque sine causa neque iniuria experiri statuit quantum posset Britannia sub imperium redacta. Intellexit enim Britannos omnibus fere Gallorum bellis auxilia hostibus nostris subministrasse, Bellovacorum perfugas in fidem recepisse, atque ab Armoricæ civitatibus, quæ omnes superiore anno rebellionem fecissent, sollicatos esse. Quibus de causis Cæsar, etsi æstate jam prope confecta anni tempus ad bellum inferendum deficiebat, tamen magno sibi usui fore arbitrabatur si modo insulam adisset et genus hominum perspexisset, loca portus aditus cognovisset; quæ etiam finitimis Gallis vix erant cognita. Cæsar enim scripsit perpaucos præter mercatores illo adire consuesse, neque iis ipsis præter oram maritimam portusque Galliæ proximos quicquam esse notum.

For Exercises XXXV., XXXVIII., XLVI., XLVII., no versions are given. The following references to the original passages, of which they are to a great extent a translation, will, I think, suffice:—

For Ex. XXXV.	compare Cæsar,	*De Bell. Gall.*	iv. c. 22 and 23.
,, Ex. XXXVIII.	,,	,,	iv. c. 30, 31, 32.
,, Ex. XLVI.	,,	,,	v. c. 8, 9.
,, Ex. XLVII.	,,	,,	iv. c. 21.

Exercise XXXVI.

Cum pacem Britanni ita confirmassent, de improviso id accidit ut nova consilia inirent. Post diem quartum, quam a Cæsare ventum est, onerariæ cum naves octodecim, quæ ex superiore portu equites Romanos sustulerant, leni vento etiam ad litus provectæ iam ex castris viderentur, tanta tempestas subito coorta est ut cursum tenere non possent, sed aliæ eo, unde solverant, referrentur, aliæ ad eas partes, quæ ad solis occasum vergunt, deicerentur: quæ cum neque ancoras iacere neque portum capere possent, mari ac tempestatibus salutem committere visum est; itaque rursus in altum provectæ, ut Orosius narrat, pleræque deperierunt. Eadem nocte luna iam plena naves, quæ in aridum subductæ erant, inscientibus Romanis æstus compleverat, et onerarias, quæ ad ancoras erant deligatæ, tempestas afflictabat, quibus de causis magna Cæsaris totiusque exercitus perturbatio facta est. Neque enim naves erant aliæ quibus reportari possent, neque, quod hiemare in Gallia statuerant, frumentum his in locis ut manerent provisum erat.

Exercise XXXVII.

Tam necessario tempore nihil aliud temptare posse, quam eodem itinere e quo excesserant reverti, videbantur. Cæteris omissis cum saluti modo esset providendum, prædam quæ celeritatem maxime tardabat omnium consensu reliquerunt. Tandem totum agmen labore ac fame defatigatum ad rivi ripas qui per vallem fluebat pervenit: ejus aditus rupesque altissimas, unde in vallem erat despectus, hostes iam obtinebant qui tela lapides

sagittas uno tempore in nostros deiciebant. Hi confertissima acie barbarorum tela haud frustra missa vitare non poterant; ipsis autem hostibus raris locique natura munitis minime nocebatur. Ad leviora tela accessit quod barbari nonnunquam magna saxa summoverunt, quæ per declivia et devexa summa vi delapsa plurima nostris vulnera intulerunt.

Exercise XXXIX.

Cæsar id, quod erat, suspicatus cohortes quæ in stationibus erant illo proficisci, duas alias in stationem succedere, reliquas armari et sese subsequi iubet. Cum non diu processissent suos ab hostibus premi animadvertit. Nam Britanni cum non dubitarent quin postero die hostes in eum locum venturi essent, ubi frumento ex reliquis partibus demesso pars una erat reliqua, insidiis collocatis nostros dispersos et in metendo occupatos adorti alios interfecerunt alios in fugam coniecerunt. Ex essedis pugnandi genere utuntur, quibus per omnes partes perequitant et tela coniciunt atque ipso equorum rotarumque strepitu hostium ordines sæpe perturbant, deinde inter equites regressi ex essedis desiliunt et pedibus præliantur. Aurigæ interim paulo ex pugna excedunt atque ita se collocant ut, siquando illi a multitudine hostium premantur, sine periculo eo se recipiant; ita enim mobilitatem equitum stabilitatem peditum præstant.

Exercise XL.

Nostris autem ea pugnæ novitate superatis perturbatisque oportunissimo tempore Cæsar auxilium tulit,

cuius adventu hostes constiterunt—sed ad hostibus pugnandi potestatem faciendam alienum esse tempus arbitratus cum sui e timore vix se recepissent, suo se loco continuit et paulo post in castra legiones reduxit. Multos dies ex eo die continuos propter tempestates a neutris pugnatum est; interim hostes nuntiis in vicinitates dimissis quam pauci essent nostri, quanta laudis prædæque atque, si nostri expulsi reliquis documento essent, in perpetuum eiusmodi incursionum timore sui liberandi spes esset, demonstraverunt. His nuntiatis magna multitudo peditatus equitatusque omnibus ex partibus coacta ad nostrorum castra contendit. Cæsar etsi hostes, etiam si pulsi ac fugati essent, celeritate pedites suos facile esse vitaturos videbat, tamen triginta modo equitibus, quos secum Commius transportaverat, suos ad pugnam eduxit, Britannosque iterum fugatos secutus permultisque occisis regionibusque vastatis incensisque se in castra recepit.

EXERCISE XLI.

Interim ille Hispanorum princeps eiusque milites de quibus supra est demonstratum maxima tempestate coorta et illa nocte et postero die usque ad meridiem gravissima pericula subibant, duabus navibus una cum iis quos portabant amissis. Tertio autem die prima luce vento intermisso quæ ad loca appropinquassent ex nautis quæsiverunt—ad Gallæciæ oras responsum est neque se cursum tenuisse sed vento amplius milia passuum ducenta delatos esse. Deinde ibi ancoris iactis æstum expectabant, quo incitato ventum ad portum repetendum nacti idoneum et præter maritimam oram provecti cum navibus hostium quattuor in itinere congressi sunt; quibus brevi tempore

vi expugnatis omnes quos portabant interfecerunt. Inde ad portum contenderunt, quo paucis post diebus perventum est; ibi e navibus egressi illum ducem Gallorum urbem obsidere certiores facti sunt.

EXERCISE XLII.

Aspectu et moribus qui in insula Mona nati sunt superioris Caledoniæ quam Britanniæ Secundæ vel etiam Hiberniæ incolis consimiliores sunt. Haud magna sunt statura sed tantis viribus ut demonstratum sit Monanam legionem proximo Gallorum bello supplementi causa conscriptam plus loci quam totidem numero milites cuiuscunque essent legionis occupasse. Etsi parva est insula—ut paulo longius triginta passuum milibus pertinet—ii qui extremam utramque partem incolunt multum inter se distant. Ut enim inferioris incolæ partis cæruleo sunt vultus colore nigrisque oculis capilloque, sic ii qui in superiore Mona sunt nati albo vultus colore capilloque flavo vel sæpe rufo sunt. Lingua quoque multum inter se differunt. Denique et aspectu et lingua et moribus tantum inter se differunt ut vulgo utriusque incolas regionis discernere sit facile.

EXERCISE XLIII.

Tum vero nostri a sinistro cornu mediaque acie maxime perturbati ad sua castra se omnes recipere coacti sunt: at expediti pedites et quarta vicesima legio vim hostium adeo reprimebant ut reliquum agmen, multis in acie vulneratis aut occisis, in castra ægerrime pervenerit. Nostris ita pulsis nondum finis est pugnandi factus.

Hostes enim, cum nostri vix castra iniissent, ne victoriam exploratam dimitterent, aliquot ex partibus tam singulari virtute castra oppugnaverunt, ut, cum undique maxima telorum multitudine premerentur, in vallum ac loricas irrumperent.

Exercise XLIV.

Labienus, qui eo die ante omnes insana quadam prælii cædisque cupiditate excitari videbatur, munitiones quas expediti pedites Scipione duce obtinebant quam maxime oppugnavit. Sed cum Britanni pari animo ac virtute resisterent pertinacia acerrime pugnabatur. Tandem sub vesperum Labienus omnibus perfractis munitionibus fortissimis cum militibus introrupit. At tam necessario tempore, in quo victoriæ fructus consistere videbatur, femur tragula traiectus multum [1] indignans referri est coactus. Hostes vero ab oppugnatione non destiterunt, sed, cum a Britannis eadem pertinacia resisteretur, noctis interventu tandem ex ea munitionum parte se receperunt.

Exercise XLV.

Marathonius campus, qui circiter milia passuum duo viginti ab Athenis abest, recta Atticæ oræ regione sex passuum milia circiter in longitudinem pertinet. Etsi mediæ partis, ubi inter montes ac mare maximum est spatium, latitudo est duorum passuum milium, campus ad utramque extremam partem angustior fit, ubi ex utraque sinus [2] parte montes ad mare laterum deiectus habent.

[1] Or magno cum dolore.

[2] Cæsar does not use sinus at all, nor cornua, in this sense; perhaps he would merely say, ubi utraque ex parte montibus mare continetur.

In ea planicie, quæ cum Persæ ibi consederunt aperta patebat, extructos tumulos eorum qui in prælio occisi sunt nunc conspicari licet. Ab utraque extrema parte paludes, quæ vere atque æstate aridæ equites nihil impediunt, autumno, quo anni tempore est pugnatum, imbribus ad equitatum plerumque inutiles fiunt. Græci vero castris in montibus positis quid a Persis ageretur animadvertere tamen ipsi latere poterant. Præterea Miltiades loci oportunitate prælii arbitrio suo committendi aut differendi facultatem habebat, nisi Datis superiora loca magno cum periculo expugnare conaretur.

Exercise XLVIII.

Sulla cum ad Rhenum illo pervenisset, flumine traiecto secundum dextram ripam iter quam celerrime fecit, ita tamen ut milites nullo nisi necessario labore defatigarentur. Copia rei frumentariæ comparata certissimo ordine atque imperio exercitus progressus est. Paulatim a Batavis aliisque sociis pluribus auxiliis acceptis plus facultatis belli ad suum arbitrium administrandi habebat. At Sulla etiam prius prælii initium quam esset factum consilio hostibus perterritis bellum a Pannonia magna ex parte alio transtulerat. Cuius celeritate hostes perturbati cum quam in partem incursionem facere ei in animo esset suspicari non possent primam æstatem re infecta consumpserunt.

Exercise XLIX.

Ambiorix, qui in urbe Argentorato quinque et quadraginta militum milia secum habebat, Sullam iter secundum Rhenum eo consilio fecisse ut in Tribocos impetum faceret

putabat: qua de causa suos qui ibi Gallis auxilio essent continebat. Cuius metum ut consulto augeret pontem in eo flumine Sulla instituit. Interim Norici princeps et Ambiorix id fore, quod erat, suspicati Pannonos sibi oppositos prælio lacessere et longius in expeditionem copias suas mittere destiterunt; sed quo facilius iter in Galliam patefieret sese suo loco continebant. Itaque cum Sulla inita jam æstate Rheno relicto ad Istrum profectus esset multi hostium exercitus distinebantur neque eum reprimere poterant.

EXERCISE L.

Ille vero, cum animadvertisset qui plurimum valerent neminem sibi se adiunxisse neque motum cuius oppidani quidam auctores essent factum, atque socium principem iam victum captumque esse, tantum animo defecit ut primo se recipere atque infelices suos destituere constituisset. Contra autem his maiore animo omnem fortunam cum suo duce experiri visum est. Eo adductus quod regis legatus prope urbem in loco palustri indiligentius copias collocaverat ille hostes adortus est: quo in prælio eius milites ostenderunt quid ii quos usus ac disciplina nihil sublevabant innata virtute ac pietate possent. Nam veteranis perturbatis propulsisque nisi[1] cum tela defecissent prælium non intermiserunt, ac tandem victoriam adepti essent nisi eorum dux re male administrata legatusque ignavia sua iam exploratam dimisissent.

[1] Or 'quoad arma suppetebant.'

EXERCISE LI.

Itaque Britanni prima luce profecti vico incenso atque exusto omni cum præda ad Morinorum urbem pervenerunt, ubi expectabant dum vento intermisso in Britanniam redire possent. Quorum discessu hostes oppidum ubi Britanni consederant diripere cæperunt neque quicquam in urbe neque in divi Iohannis æde reliquerunt. Qua in æde sceleratus quidam in aram insiluit et gemmam e corona Divæ Virginis simulacri eripere conatus est; simulacro autem averso turpissime ille periit. Quod prodigium multi viderunt. Deinde cum idem facere alter conaretur miri ex æde sonitus auditi sunt, quos homines efficere non possent. Quorum prodigiorum causa eam ædem complures visebant, atque rex principesque eidem Divæ Virginis simulacro multa donaverunt.

EXERCISE LII.

Itaque accidit ut imperator cum suis eo die portum capturus esset, nisi Hispanos de quibus supra est demonstratum aditus defendendi causa ibi collocatos invenisset. Quos cum Britanni sociique ibi vidissent ac sibi esse dimicandum intellexissent inter se cohortantur. Erant nec numero hominum nec navium pares; tamen armis sumptis sagittariisque ad statim pugnandum in prima acie constitutis sese instruxerunt. Deinde hostium naves multitudine militum omnique genere tormentorum ornatissimæ magno cum strepitu appropinquare cæperunt. Pugnatum est ab utrisque acriter. Hispani vero quod ferreas talias lapidesque ingentes in magnis navibus habebant quibus deiectis

hostium naves perfringerent multa vulnera intulerunt ita ut a Britannis maxime laboraretur. Hi tamen fortissime resistebant, atque imperator summam virtutem ipse præstitit, itemque omnes duces qui una aderant.

Exercise LIII.

Britanni vero, quibus hostes numero navium militumque magnopere præstabant, maxime laborant, præsertim cum multi magnis lapidibus ferreisque taliis deiectis vulnerarentur. Quod prælium oppidani conspicati nullam opem nostris, qui tanta virtute cum suis hostibus contendebant, tulerunt sed prælio supersedebant. Ita cum usque ad noctem esset pugnatum uterque ab utroque navibus reductis ancoras iecit. Eadem nocte urbi præfectus oppidanos armis sumptis in navigia longasque naves conscenderent iisque qui omni eo die tanta virtute cum suis hostibus dimicassent opem ferrent sollicitabat. At oppidani se de hoc excusabant, satis enim negotii esse oppidum tenere, neque se inscientia nauticarum rerum navali pugna cum Hispanis contendere posse; quod si pedestre esset prælium, se libenter ex urbe profecturos. Itaque prima luce Hispani ancoris sublatis impetu magno cum clamore in Britannorum naves facto, postquam acriter est pugnatum, omnes aut ceperunt aut interfecerunt.

Exercise LIV.

Oppidani certiores facti nostros ad oppugnandum progredi quid agant consulunt. Re satis deliberata

omnibus constat deditionem facere longe præstare. Itaque ubi primum nostros adesse intellexerunt quinquaginta viri summo loco nati ex urbe egressi a milibus passuum circiter hostium adventum expectabant. Cum autem nostris delatum esset ex illa urbe cives non ad pugnam sed ad deditionem faciendam processisse, principes sagittariis ceterisque militibus relictis ad rem explorandam equis provecti sunt. Tum vero quinquaginta legati cum iis ad pedes procubuissent sese inopes illius urbis cives libenter nobilissimi eorum imperatoris fidem esse secuturos atque in se clementia uterentur orare, omnia enim sua bona iam eorum esse. Ad haec tres principes cum condiciones inter se egissent se cum exercitus sui parte una cum iis urbem esse ingressuros ubi ea quæ polliciti essent fide ac iureiurando sancirent responderunt. Quibus condicionibus libenter acceptis ad urbem regressi portisque patefactis principes quadringentis cum militibus oppido receperunt; ceteræque copiæ in agris sese tenebant, quibus ex oppido satis frumenti sumministrabatur.

Exercise LV.

Quibus omnibus cognitis, Hasdrubali, qui Romanam belli rationem in Hispania satis perspectam habebat, utrumque consulem iam adesse persuasum est. Inscius tamen quid in Italia inferiore fieri potuisset neque spe[1]

[1] My wish to avoid present participles has perhaps become a crotchet. *Sperans* is twice used by Cæsar, vi. 7, 7 and 10, 6. 'Speransque ipsum etiam Hannibalem appropinquare' will therefore be right. I subjoin a list of all the verbs used by Cæsar in the *present participle*, with the number of times attached:—

de Hannibalis adventu deiectus, cum hostium copiis iam coniunctis sibi non esse dimicandum statuit. Præstare enim visum est in Insubres Gallos, amicam civitatem, pedem referre, unde ad fratrem iter rursus patefieri posset. Itaque in castra suos reduxit: cum Romani in munitiones impetum facere non auderent neque Hasdrubal in eorum conspectu initium profectionis facere vellet, eo die nihil omnino est factum.

Exercise LVI.

Prima de vigilia Hasdrubal suis silentio e castris eductis in superiorem Italiam ad Metaurum iter fecit si id flumen inter suos atque Romanos interponi posset, priusquam de profectione sentirent. Mox autem Romani equites a tergo se ostenderunt, quos mediocri interiecto spatio legiones ad statim pugnandum expeditæ subsequebantur. Spe ita deiectus sui recipiendi in tanta hostium propinquitate suos arma statim expedire iussos quam commodissime pro loci natura instruxit.

Adhortor (1), *audio* (4), *cedo* (5), *clamito* (1), *cogito* (2), *cohortor* (1), *concedo* (1), *conor* (5), *contingo* (1), *cupio* (2), *defendo* (1), *despero* (2), *diffido* (1), *discedo* (5), *dubito* (2), *egeo* (1), *egredior* (1), *emineo* (1), *excepto* (1), *existimo* (3), *expecto* (3), *exposco* (1), *facio* (1), *fleo* (6), *fugio* (7), *hæsito* (1), *iaceo* (2), *indignor* (1), *insequor* (2), *inspecto* (1), *insto* (1), *iubeo* (1), *laboro* (6), *mereo* (1), *minuo* (1), *persequor* (1), *pertineo* (1), *peto* (6), *præmetuo* (1), *præsum* (8), *procurro* (1), *proficiscor* (2), *prohibeo* (1), *promineo* (1), *pugno* (10), *recipio* (2), *redeo* (1), *resisto* (4), *spero* (2), *succedo* (1), *timeo* (2), *venio* (2).

The participle of *orior* is always coupled with *sol*; of *pateo* with *loca*.

Out of the above *52* verbs thus used *30* are only *once* so employed, *9 twice*, *2 thrice*, *2 four times*, *3 five times*, *3 six times*, *1 seven times*, *1 eight times*, *1 ten times*.

Exercise LVII.

Batavi ita ad Tamesis caput provecti cum Britannorum naves ibi constitutas vidissent inter se cohortati sunt quod cum Britannorum exercitu sibi esset dimicandum; hostes enim se conspexisse et venti æstusque commutationem secutos ante noctem prælium esse commissuros. Quæ etsi ea nullo modo iis placebant, tamen cum viderent unam esse spem salutis si prælio contenderent in acie sese instruxerunt. Imperator autem qui rei militaris peritissimus erat atque antea Britannis maximas iniurias mari intulerat, omnibus rebus ad pugnam comparatis suos cohortatione confirmavit, ne animo deficerent; se enim æquo marte cum hostibus dimicaturos esse, ventoque secundo semper in pugna propius continentem accessuros esse ita ut amicum portum caperent. Quibus auditis alii aliquid solacii alii nihil acceperunt; itaque in acie instructi arma ad pugnandum expediverunt.

Exercise LVIII.

Britanni, cum propius accessissent, actuarias naves, quas sagittariis instructas secum habebant, remis incitatas ut prælii initium facerent præmiserunt. Plurima autem tela a sagittariis frustra mittebantur, cum hostes se in navibus non ostenderent telisque ita vitatis vento semper se darent. Ita navali prælio tres vel quattuor horas utrinque acerrime pugnatum est. Cum autem nox appeteret pugna intermissa uterque ab utroque se recepit ancorisque iactis totam noctem ad quietem dedit. Deinde æstu incitato ancoris sublatis solverunt, prælioque redin-

tegrato hostes vero dum pugnant Batavorum oræ maritimæ semper appropinquabant. Nullo autem auxilio allato tum demum victi sunt plerisque navibus una cum gubernatoribus captis. Qua calamitate nuntiata oppidani, quid agerent inscii, maxime perturbabantur omnibusne relictis oppidum dederent an naves ibi constitutas conscenderent portusque aditum defenderent. Accidit autem ut Britanni quem ad casum hostes deducerentur nescirent, itaque non egredi sed naves in portu ad ancoras deligatas incendere statuerunt.

Exercise LIX.

Nostri, ubi primum ad terram perventum est, milites equos camelos commeatus navibus exponere statim cœperunt adeo assiduo labore ut magna castra munitionibus firmata, ubi antea vastæ fuerant solitudines, in litore fecerint. Etsi omnes copiæ eo pervenerant, dum reliquæ onerariæ naves postridie eius diei convenirent expectabant, quo die ut statim proficiscerentur pronuntiatum erat. Inter nostros et superiora loca duo passuum milia æstuaria pertinebant, quæ æstate arida eo tempore unius pedis in altitudinem aquam habebant. Quæ res nostris magno ad iter impedimento fuit, cum et in imis vadis limo impediti equi hæsitarent et tormenta per paludes ægre traherentur. Ab exploratoribus qui ad vias cognoscendas erant præmissi semitam repertam vix esse idoneam nuntiatum est. Tum vero nulla ex parte hostes se ostendebant, sed eorum pecora in prospectu erant.

Exercise LX.

Imperator octo menses omnia quæ ad incursionem faciendam usui erant diligentissime comparaverat, neque, etsi quibusdam summi consilii atque auctoritatis viris res maximi esse periculi videbatur, fiducia atque animo demissus est; ac cives pari studio ad regem sublevandum impellebantur. Omnibus Gallorum onerariis navibus, quibus exercitum ad amplius quinquaginta hominum milia transportaret, conquisitis satis magnam copiam nondum habebat; cuius rei causa multi ut summam a duce gratiam inirent naves in portibus æstuariisque suo sumptu faciendas curaverunt. Cum ad parvi caput fluminis certus locus esset constitutus quo omnes convenirent, eo tria navium milia circiter cuiusque generis formæque coacta sunt. Ubi autem exercitus ad naves conscendendas paratus est Aquilone coorto detinebantur neque prius solvi poterat quam Choro flante æquinoctium subesset. Hac occasione Galli alacriter usi solverunt; at cum ventus paulatim sæviret portum capere non potuerunt nisi navibus maxime afflictatis.

Exercise LXI.

Quibus longis navibus Saxones crebro e portibus provecti modo ad certum locum modo quocunque ventus ferret navigabant; sive autem casu sive consilio id semper iis in animo erat ut aliqua ex parte Britanniæ aut Galliæ litoris incolis innocentibus de improviso oppressis bona diriperent. Qua de gente Sidonius Gallorum episcopus

quidam scripsit nullos esse hostes qui crudelitate Saxones antecederent—semper enim eos profligare quicunque resistere auderent, quosque inopinantes neque ad pugnandum paratos invenirent opprimere. Siquos insequerentur sine dubio comprehendere; cum autem ipsi fugam caperent semper incolumes evadere. Pericula eos contemnere, naufragioque assuefactos semper prædam vita cariorem habere. Quin etiam tempestates cæteris gravissimas iis voluptatem afferre, quæ ipsis pulsis præsidio essent et, si de impetu faciendo cogitarent, plerumque efficerent ut quam facillime laterent.

Exercise LXII.

Deinde ab Hispanorum rege concilio convocato ac variis dictis sententiis, quarum pars prælium non temere esse committendum, pars summæ esse stultitiæ ibi morari atque hostes agros vastare pati censebat, ex equitibus quidam se putare dixit maximas Gallorum equitibus gratias regem agere debere qui ei subsidio tam longum iter fecissent. Quis enim ex hoc intelligere non posset eos neque in urbe neque arce neque præsidio se tenere velle at semper esse in itinere armisque cum hostibus confligere? Id autem multis de causis tum concedi non posse, quod inprimis suum imperatorem expectarent qui magno cum supplemento ad exercitum mox venturus esset; plurimos etiam e suis militibus nunquam antea in iis regionibus fuisse, quos oporteret aliquot menses ibi manere ut locorum periti fierent; rem enim confestim gestam sibi vix unquam feliciter evenisse.

Exercise LXIII.

Luteciæ, cum esset nuntiatum Arabas rebellione facta Ægyptios quibus Labienus præerat[1] in inferiore Ægypto ad unum interfecisse, oppidani maxime permovebantur; neque primo nuntiis credebatur. Nam paucis modo verbis allatum erat Ægyptios una cum imperatore ad milia hominum decem et quingentos A.D. iii. Non. Nov. a milibus hostium trecentis oppugnatos; proinde phalange facta cum tridui impetum sustinuissent ita profligatos fuisse ut unus tantum qui cædem nuntiaret evasisset. Quæ nemo non cum admiratione tum suspicione accepit. Videbatur quidem fieri potuisse ut Ægyptii metu cum terga vertissent in fuga comprehensi concisique essent, nostris, ut sæpe fit, militum tribunis simul interfectis. At unum modo superesse minime erat credendum. Ad hoc imperatorem quemquam Romanum, quamvis magnam suis fidem haberet, ad tam iniquam pugnandi condicionem milites deducturum fuisse intelligi non poterat.

Exercise LXIV.

Ita gravissimo memoriaque digno eventu pugnatum est. Galli vero qui tum aderant ad milia fere sexaginta amplius quindecim milibus deperdiderunt—at de hostium numero detrimentisque in prælio acceptis nihil pro certo proponi potest. Gallorum enim scriptores suæ laudis augendæ causa tantum hostium fuisse numerum ut minime sit credendum, Britannorum contra paucos modo desperatos prælio interfuisse confirmant. Utrisque tamen

[1] Cf. *L. P.* p. 78 (3).

constat omnem inferioris Britanniæ nobilitatem una cum rege fratribusque interiisse. Regis cum mater sui filii corpus oraret, parique auri pondere dato redimere vellet, Gulielmi dolor misericordiam non recepit. Nam mortui regis corpus in litore sepeliri iussit, hac contumelia verborum usus,[1] illum quidem vivum oram defendisse, idem mortuus defendere perseveraret.

Exercise LXV.

Illam vero cladem apud Caudinos saltus acceptam, ubi legiones circumventæ ad deditionem turpiter faciendam coactæ erant, Romani memoria deponere haud unquam poterant. Traditum est hostes tam inaudita fortuna commotos confestim misisse qui Herennium Pontium ducis patrem ætate iam provectum consulerent quid fieri oporteret: eum suasisse omnes Romanos incolumes dimitterent, quo beneficio gratiam atque amicitiam hostium redimerent, aut omnibus ad unum interfectis diutino detrimento Romanam civitatem afficerent, nullum enim esse medium consilium quod sine ullo periculo capi posset. Id tamen Samnitibus minime placuit. Nam captivi armis positis sub iugum missi, u/ primorumque ordinum legati iureiurando de fœdere caverunt quo Romanis neque arma neque colonias in Samnium deducere liceret atque uterque æquo Marte in reliquum tempus esset dimicaturus. Quam condicionem populo Romano sancire haudquaquam est visum.

[1] Cf. *B. G.* v. 58, 8. Cæsar does not use ironical particles, such as scilicet, nempe, nimirum, quippe.

Exercise LXVI.

Deinde eversam urbem ingressus turres tanta vi munitas Titus mirabatur; se quidem exercitum duxisse at Deos victoriam dedisse. Suis cæde desisterent nisi qua e parte resisteretur imperavit. Duces sub terra abditos exquirerent, adolescentes eximia forma ac magnitudine ad triumphum retinerent. Ætate iam provecti in Ægyptum ad ergastula missi, atque omnibus qui septemdecim annos nondum nati erant sub hasta venditis ingentem multitudinem secum Romam avexit, qui in theatris gladio ferisque obicerentur. Fertur quoque apud Iudæos ad septem nonaginta milia esse captos, undecies centena milia occisos. Qua urbe diruta nihil nisi tres turres victoriæ monumento superfuit: parti quoque muri qui ad occidentem spectabat non eversæ Terentius Rufus cum præsidio est præfectus.

Exercise LXVII.

Ad id temporis tamen triginta agrestium milia dum rex fidem præstaret cum Spartaco manebant, in quos haud procul ab urbe postero die ille casu incidit. Iurgio inter Spartacum ad colloquendum cum rege progressum ac regis stipatores coorto atque e minis brevi certamine facto urbi præfectus Spartacum pugione deiecit. Inde ad arma omnes clamare, ducem enim suum esse interfectum. Rex autem puerili ætate equo temere provectus, Quid opus esse? se ducem se regem sequerentur. Tum vero agrestes, qui omni spe in adolescente posita id maxime tumultu facto egerant ut eum pravis consiliis eorum qui male consulerent liberarent, mira quadam fide atque officio ad arcem

sequebantur. Idem matri, quæ eum præ gaudio illacrimans excepit, Dis immortalibus grates ageret, se enim hereditatem amissam ac Britannorum regnum eo die recuperasse.

Exercise LXVIII.

Hunc a puero Leonidas, qui a matre consanguineus summam vitæ severitatem summæ frugalitati addidit, simplici Lacedæmoniorum cultu ac duritia adsuefecit. Lysimachus vero illis viris, de quibus cecinit Homerus, puero exemplo propositis iam ab initio gloriæ cupiditate imbuit. Quin etiam, quod Alexandrum ab Achille prognatum fama ferebat, quo magis ea re concitaret eum Achillem appellavit. Tamen, id quod maxime memoria est dignum, ipse Aristoteles præcepit,[1] ita ut ille, qui usque ad ultimas terrarum partes armis victor pervenit, ab eo, cuius ingenii vis apud homines maximam auctoritatem habuit, disciplinam acceperit. Tredecim quidem annos circiter natus Aristotelis disciplinam accepisse videtur, in qua haud amplius tres annos permansit, cum adolescens in republica versaretur.

Exercise LXIX.

Ad Alexandrum, dum Tyron obsidet, legatos de pace iterum Darius misit, qui has condiciones ferrent, ut decem talentum milibus datis suos redimeret omnesque provincias citra Euphratem traderet filiamque Barsinen in matrimonium collocaret. Quæ cum ad concilium delata essent Parmenio liberalitatem miratus dixit se si Alexander esset accepturum, cui ille se si esset Parmenio idem

[1] Better 'cum instituit.'

facturum. Nam, siquidem Macedoniæ non sibi uni consuluisset, veteris legati consilio usus fuisset, sed vincendi quam habendi amore magis instinctus quo longius iter fecit eo maiora se adepturum esse sperabat, neque id quod erat adeptus nisi pro parte immensi imperii quod erat adepturus habebat. Quapropter Darius summa vi bellum parabat.

Exercise LXX.

Ab utrisque acerrime fortissimeque pugnatur. Nam hostes ordinibus servatis firmiter insistere magis quam progredi, eoque facilius impetum sustinere posse quam si loco cessissent. Regis autem equites mira hostium contemptione etiam locis iniquis se audacissime eiciebant ita ut hostium peditatus equitatu suo plerisque e partibus fugato pæne esset nudatus. At tanta peditum virtus fuit ut spatio fusis equitibus sui e fuga recipiendi dato opem salutemque semper ferrent. Urbis quoque cohortes atque auxilia, qui insueti periculi et militiæ ad id temporis parvi habebantur, singularem stabilitatem præstiterunt, atque eo die victoriæ summa penes eos constitit.

Exercise LXXI.

Eo tempore falsis rumoribus non modo ad classi præfectum sed ad senatum perlatis opinio confirmatur Hispanos in Britanniam incursionem tum facere non posse; qua de causa navibus quæ iam e loco erant discessuræ complures nostri egressi erant. Tum vero invicta classis, quo nomine Hispani ubique gloriabantur, ex ea parte quæ ad occidentem solem vergit est visa. Id de improviso accidit, cum nostris navibus quæ erant dis-

cessuræ multi iam egressi essent. Dux autem omnibus quas statim armare posset in hostes provectus. Etsi triginta modo e centum navibus ad rem gerendam secum habebat, aliis indies subvenientibus, impetu facto hostes urgebat, qui dimicare non ausi ad Itium portum quam celerrime se recipiebant. Nostri quinque vel sex dies subsecuti pugna vix intermissa plurimos interfecerunt, duabusque longis navibus captis tantum aliis incommodum intulerunt ut haud multo post deperirent, parva nostrorum iactura.

Exercise LXXII.

Consul vero, prius tria milia passuum ad pontem quam est progressus, angustiis, quibus prærupta iuga impendebant, sociorum equites cum aliquot tormentis præsidio reliquerat: verebatur enim ne ibi reditu ab hostibus intercluderetur, quod eo mane per angustias proficiscens fieri posse intellexit. Quod præsidium ut confirmaret, Crassum cum quattuor equitum turmis præmisit. Id tamen sero est provisum. Nam hostium dux loci oportunitate statim perspecta duobus equitum milibus missis eodem tempore quo Crassus ad angustias advenit medium iter occupavit. Dolore accensus ac salute desperata Crassus etiam in tam iniqua pugnandi condicione se in hostes eicere volebat atque ægre legatis dissuadentibus inutili consilio destitit.

Exercise LXXIII.

Cum autem princeps Antiochiæ nonnullos milites nimiam ob licentiam securi percuti iussisset tota legio

tumultuari. Quæ seditio ne ad universum exercitum pervaderet principi pro suggestu leniter cohortanti milites clamoribus obstrepere. Tum ille clamorem ne tollerent priusquam prælio cum hostibus congressi essent. Nisi enim tacerent apud ipsum qui frumentum vestitum provinciarumque opes daret se non milites sed Quirites esse appellaturum. Quibus minis eo magis permoti gladios stringere permulti. Virtutem in acie ostenderent, se enim interfici non terreri posse, Senatum populumque Romanum ulturos. Tum demum adhuc frementibus 'Quirites,' inquit, 'armis positis discedite.' Inde tumultu statim sedato milites ad cauponas dilabi. Quibus, cum seditionis factæ adeo pæniteret ut veniam orarent, ille se nisi auctoribus securi percussis daturum negabat. Ex illo tempore summa fide legio secuta ei mortuo parentavit.

Exercise LXXIV.

Ii, de quibus supra est demonstratum, literis legato mandatis principem traiectu facto Britanniam in libertatem vindicaret orabant, atque optimum quemque idem sentire confirmabant: de incursione facienda hæc quoque consilia addebant. Magnam classem parvum tamen exercitum haud amplius sex vel septem milium hominum secum transportaret, ne, si nimis magnas peregrinorum copias traduxisset, Britannis opinio confirmaretur eum se imperio subicere velle. Superiorem in partem egredi præstare, ubi equitatus suppeteret ac plerique nobiles novis rebus studerent: ibi quoque feraces esse agros viasque prope ad urbem expeditas. Constare etiam civitates quæ ad occidentem solem spectarent se adiuncturas, etsi rebellione nuper haud prospero exitu

facta ac suppliciis perterritæ animo defecissent. Ante omnia quam celerrime esse maturandum, tum enim duasdeviginti modo naves ad ancoras deligatas regem habere, multo tamen plures e portu mox soluturas satis magno nautarum numero qui tardius cogerentur comparato. Quibus delatis princeps se credere negabat regis exercitum ad suas partes deficere velle, neque se tantam rem suscipere posse, qua male gesta utrumque populum extremum in discrimen adducturus esset, nisi tantas copias secum transportaret ut dispari prœlio contenderet etiamsi omnes regis milites in officio permansissent.

EXERCISE LXXV.

Neque tamen prius Galli Tiberi traiecto ad rivum Alliam milia passuum ab urbe vix duodecim quam pervenerunt Romani A.D.XV. Kal. Sext. vi et armis eos itinere prohibere conati sunt. Tum quoque quasi vero cum latronibus esset pugnandum temere ac superbe prælium commiserunt, ducibus imperitis cum ob civium dissensiones Camillus re publica abstineret. Quid enim opus esse castris aut expedito receptu cum contra barbaros esset pugnandum? Hi vero hostes, quæ erat virtus, nihil periculi pro sua laude recusabant, ac pugnandi genere cum novo tum metuendo utebantur. Nam strictis gladiis Galli in Romanam aciem se eicere primoque impetu perrumpere. Non solum profligati sunt Romani sed tam præcipites fugæ se mandabant, si modo flumen inter se atque hostes interponerent, ut plerique in magno tumultu ad dextram Tiberis ripam atque ad Veios se conferrent. Itaque urbe nudata nihil iam hostibus resisti potuit.

EXERCISE LXXVI.

Maxime autem eo die penes nostrum ducem summa victoriæ constitit, qui priusquam pugnari est cæptum ab alia ad aliam legionem equo vectus omnes pari pugnæ studio incitavit, unde exploratæ augurium victoriæ habebat. Idem fertur, prœlio iam acriter commisso, quibusdam albam galeam exueret qua nimis facile ab hostibus cognosceretur suadentibus, animum non galeam magni interesse neque enim metum neque laudem galeam recipere respondisse. Ipse vero in prima acie urbanas cohortes, quas ingens equitum multitudo acri impetu facto perruperat, quam celerrime ordinibus restitutis summum in montem singulari virtute erexit. Interim magna pars hostium equitatus haud procul a montis radicibus signis conversis novissimos, ubi impedimenta erant collocata, adorta est: quibus iam magnopere laborantibus quosdam veteranos subsidio imperator demisit. Hac copiæ dum in planitiem descendunt in hostium turmam incidunt, qui galeas genista implicitas nostrum insigne gerentes se esse amicos clamabant. Nostri autem his fallaciis cognitis tela conicere atque aliquot equitibus subvenientibus pellere ac proturbare.

EXERCISE LXXVII.

Signo recipiendi dato Hispani trecentis in prœlio relictis ad castra se contulerunt. Itaque oppidani hostes quos multo superiores numero peritissimus quisque ducebat maxima cum laude iterum reppulerunt. Cum iam intellexisset urbem neque iusta obsidione neque subita oppugnatione capi posse hostes fame opprimere

statuerunt. At multa hieme Hispanos haud minus quam oppidanos fames invasit; multo enim plures frigore ac cibi inopia morbisque inde exortis quam in acie interfecti, id quod plerumque fit in eiusmodi obsidionibus. Indies magis ab oppidanis laborabatur, qui, certis modo cibariis uni cuique datis, ac commeatu deficiente, ne primo vere glacie lacus soluta ex omni parte interclude-rentur timebant. Nam incertum erat utrum rex classem armare posset, quod nisi fieret aquæ inopia sibi aut deditionem faciendam aut fame moriendum pro certo habebant. Itaque cum iam horrenda instaret fames contra hostes multo minus timendos in extremis suis rebus decertare cupiebant.

Exercise LXXVIII.

Oppidanis vero omnem experiri fortunam quam egentibus perditisque hominibus se traderent præstare visum est. Accessit quod regis auxilia adfore sperabant prius hostium copiæ ad id temporis propter paucitatem despectæ quam augerentur. Itaque omnibus in oppido bene instructis de muro multis e partibus complures nuntios per funes clam demittebant ita ut siquid aliis accideret alii evaderent qui regem certiorem de rebus factum opem ferret orarent. Statius quoque veritus ne regis copiæ mox advenirent summa vi oppugnationem facere statuit. Igitur scalis ad multas muri partes admotis eodem tempore unam e portis perrumpere conatur.

Exercise LXXIX.

Indignari optimates quod de improviso id fastigii ille advena occupasset; ante omnes Publius Crassus nequid sua ipsius dignitas detrimenti caperet veritus ultro in regem minis conviciisque invehebatur. Itane evenisse omnia, quæ frater esset pollicitus, ut civibus summotis alienissimos ad concilium adhiberet, ut legitimis consilii auctoribus spretis cuilibet pupillas in matrimonium collocaret? Gliscit passim tumultus ne facultate quidem dicendi legato data. Cogere undique optimates copias, urbis civibus, qui viginti post annis Sertorii fidem tanta constantia secuti sunt, pari studio adstrepentibus. Regi ita oppresso perturbatoque breve modo spatium deliberandi est concessum. Nulli non sperabant Crassum hac occasione usurum ut omnes alienigenas invisam pestem e civitate expelleret, prosperumque eventum faustis ominibus iam præsumere.[1] Optimates tamen cum convenissent artes dolumque prævaluisse intellexerunt; Sertorium sive modestia obsequioque sive pollicitationibus donisque sive ipsius naturæ illecebris sive uxoris precibus Crassum sibi conciliasse. Itaque exsecrati eius infirmitatem qui nuper rerum columen erat visus rebelles duce amisso dilabuntur.

Exercise LXXX.

Ad ea quibus cotidie domi exercemur accedit quod aliquid novi ipsa e voluptate foris percipi potest. Nam primo vere sereno ac temperatiore cælo iure ipsa natura indignaretur quod non studiis relictis ipsius opes miraremur communique gaudio afficeremur. Tum vero me quidem auctore præstat omnes ad terræ partes una cum peritis locorum ducibus circumvehi atque omnia loca et

[1] Not Cæsarean, but we can turn 'contestati deos ut ea res feliciter eveniret' (iv. 25).

natura et manu munita obire, quid ad urbes ædificandas et agros colendos pertineat, qui portus ad mercaturas vim maximam habeant, cognoscere, nonnunquam etiam ad nostram classem provehi ut de nauticarum rerum navalisque pugnæ scientia atque usu aliquid discatur. Ita enim suum cuique ingenium spectabitur, siquid boni adhuc latuerit educetur atque oportune augebitur, id quod toti populo vel maxime prodesse necesse est.

THE END.

Printed by R. & R. CLARK, *Edinburgh.*

KEY TO LATIN PROSE EXERCISES BASED UPON CAESAR'S GALLIC WAR

CLEMENT BRYANS

MACMILLAN & Co